Ætas Pupillaris non patitur Obligationem.

ISTE procul duri fictâ gravitate *Catones*,
Quos rigor in Vultu, sævusque in Moribus horror,
Triste Supercilium, & celsæ fastidia Frontis,
Barbaque propendens, Sapientum nomine Signant.
Nil mihi cum Vobis; nisi, siquis mollitèr actæ
Ætatis memor, haud tetricas, demittat in aures,
Quæ sensit *Puer*, Ipse: *Senes* secedite acerbi:
Vos audite, quibus teneri flos integer Ævi
Pubentes primâ vestit Lanugine malas;
Dum, quæ, *Romani* Vobis Sapientia *Juris*,
Eximia indulsit, memoro; Sapientia Juris
Romani, totum meritò celebrata per Orbem.
Principio est Custos Impubibus additus Annis,
Ut Puerum, qui nondum animo maturus, & ævo,
Constituat, Morum Rector, Tutorque Salutis,
Ille suis niti non ausit viribus Ætas,
Scia adhuc rerum, & curis Civilibus impar;
Indigaque est opis externæ: Tu Tutor amicis
Ite subi officiis, animumque assume Paternum;
Tu Clavo assideas, ac Rem modereris Alumni,
Ne malè Curatis fiant dispendia Rebus.
Sic Navem excusso videas fluitare Magistro,
Continuóque actam rapido vagus impetus Æstu
In Syrtes & Saxa ferat, nisi Rector habenas
Excipiat Novus, ac per densa pericula Ponti
Expediat. Pullum Dominus sic fingit Equinum
Ante premens, pedibus ne rupta repagula Spernat,
Cervice indomitâ ferus, effreniſque vagetur.
Verùm Hujus, rerum Cui non est Cura suarum,
Qui sapis O, infida cave Commercia: Pacto,
Nè, si forte inito Te Emptorem ducat hiantem,
Ille ferat Pretium, Pœnæ Securus: iniquo
Tu malè judicio certes: tutabitur Ætas
Quippe illum, ac teneris Favor haud indebitus annis.
Sic Puer *Euryalus*, rapidæ in certamine Plantæ
Per fraudem Victor, primos cum ferret honores;
Nequicquam Senior *Salius* sua jura tuetur.
Pupillo sed enim, cui nullæ in corde doloso
Conduntur latebræ, nudo sed pectore candens
Simplicitas, purique instar pellucida fontis;
Cui neque Mens experta mali, nec Lingua nefandi
Creditur esse potens: licet Illî impune latentes
Insidias struere, atque malas innectere fraudes.
Nempe Illî ancipitis prodest Inscitia Juris:
Nam, quia non Legum nodos callere putatur,
Si quem forte vafrum, nec opinum, in Retia traxit;
Mille tenet Laqueis implexum, mille Catenis.
Sed neque Pupillo, si quid deliquerit, *Ipsî*
Imputat admissum jus mite; Vicaria Pœna
Sufficitur: nam Lex *Pupilli* crimina Solum
Transmovet in Tutorem: ita Justum temperat Æquo.
Æquis *Pupillum* rapit in Jus? Rectè in agentem
Vindicat Oppositâ se Conditione: Foresnè
Negit? restituat Tutor: Nùm largius æquo
Vivit? Tutorem penes est Custodia Censùs;
Ille amat in Loculos Nummum demittere: Lege
Æquior hâc nulla est, "Ut, Cujus *Commoda* fiant,
Jure, pari Ejusdem fiant *Incommoda* Jure.
Quô Pupillo igitur *Monita* imperiosa? Severis
Quô signis impressa novas fert *Chartula* Leges?
Quorsùm *Edicta* gravi *Rex* intonat ore *Togatus*,
Forceris & tenebras, *raptosque* minatur *Honores*?
Nempe Tibi natas Leges, *Pupille*, negabis;
Et Pœnes eximio te *Ætatis* Jure tueri.
Ipse licèt veniat nigro Stipatus *Achilles*
Agmine *Myrmidonum*, ac notis præfulgeat Armis,
Limina quæ Suspecta petant hostiliter, Armis:
Non est, quod trepides: Tibi enim licet interdictas
Ire vias, Arctâque oculos impunè *Suburrâ*
Spargere, & obliquo perstringere Lumine *Nymphas*.

At Vos ô, teneræ quibus est *Tutela* Juventæ,
Ne vos Illa minùs, quàm ferrea Jura, laventes
Sentiat: Immitis quis durâ falce Putator
Gemmantem, jam vere novo, Floremque sub ipsum
Abscindat *Plantam*, immaturaque vulnera figat
Improbus, Idcircò, ne justo lætior olim
Arbor luxuriet, Vis ac vitalis inanem
Diffluat in Speciem, Fructumque expiret in Umbras?
Scilicet expectes, *Puer* ut ratione regat se,
Dum Calor exultans vix se capit, Ignis & imis
Ebullit venis; Dum lacteus Humor abundat,
Multus & exudat læto de Corpore Succus?
Aptior adveniet mox Asperioribus hora,
Cum firmatâ animi jam mente resederit ardor.
Parcite Pupillo, *Rectores*, Parcite: *Jure*,
Postulat a Vobis veniam non *Ipse*, sed *Ætas*.

Re, Testatori cum Alio Communi, Legatâ; Tota *non est præstanda.*

Mævius ut Titium dubii certamine Juris
Sponte lacessierit, Litesque intenderit atras;
Inde ut uterque *Fori* lentâ pugnârit Arenâ:
Jamdudum credo *Legum* notum esse *Peritis*.
Mævius Iste, sibi ex *Tabulis Legata Supremis*,
Ex Seii *Tabulis*, Titio abs *Herede*, petebat.
Postquam in *Jus* ventum, & Sanctum tetigere Tribunal;
Mævius exponit Causam: 'Justissime *Judex*,
Accipe Rem primâ deductam ab Origine. Seius
Jam Senior, Fati memor, orbatæque Senectæ,
Condiderat *Tabulas*; cum *Me* Titiumque vocatos
Ad Lectum, moriens sic est affatus: 'Amici,
'Munera, quæ vobis possint lenire Dolorem,
'Et fida abreptum revocare in pectora Seium,
'Accipite Hæc, extrema vetusti Pignora Amoris,
'Et memores Servate diu: Tu Scilicet *Heres*
'Sume, Titi, quicquid numeratur *Corpore* Censûs;
'Excipias modo, quem (Novisti) hinc Margine *Flumen*
'Terminat, inde *Jugum* clivoso limite, *Fundum*:
'Illibata Tibi Res cætera perstet; at Unum Hunc
'Nomine *Legati* decerpat Mævius. Ambo
'(Me mea Fata trahunt!) Felices Vivite!' Seii
Talia Jussa dedit Sancta & Suprema Voluntas.
Integrum Agrum Titius dare denegat: 'Et merito;
Nam *Testatori* non cesserat *Integer*: *Unam*, [(inquit)]
Partem ad se *Socius Communi jure* trahebat.
Atqui, Tota foret si Res *Aliena*, *Redemptam*
Præstares Totam: Nùm, Jure relinquere Totum
Qui potuit, Partem Tibi non potuisse videtur?
Cui *Majus* licuit, *Minus* Huic licuisse negabis?
Hîc Titius: 'Non ritè capis *Communia Jura*:
Tu Bona posse Tuis *Aliena accrescere* speras?
Nempe Hæ sunt Artes *Magicæ*, quas Carmine (dictu
Infando) perhibent alienâ ex Arbore Poma
Transferere, & stantes aliò traducere Aristas,
Et pravis turbare Dolis Commercia Rerum.
Nam quid Si, Ludovice potens, Tua Regia Dextra
Transmutat Dominos, largitur non *sua* Sceptra,
Partiturque Tuis sectas malè prodiga Terras?
Non ea *Privatis* (credo) data *Jure* Potestas.
Tum *Judex* (cunctî tenuêre Silentia) paucis
Effatur surgens: grave & immutabile sanctis
Pondus adest Verbis, ac Vocem Fata sequuntur.
'Stent tua Regna, *Themi*, aut ruat ingens Machina Mundi:
'Improbe! quid certas Aliena adscisce Jura,
'Et Sanctam violare *Themin*? Quid Messibus arvi
'Ingeris, haud Proprii, Falcem? Discedito lætus
'Parte Datâ; *Ulterius* nihil Hîc, nisi Verba, *relictum*.

Jul. 5. 1714. *Resp. in Vesp. Comit.* Fr. Dickins Aul. Trin. Soc. *progradu Doct. in Jure Civili.*